

Q V A D R A T V M G E O M E T R I C V M

perior quæ ex 4 regularū superficiebus integratur, una sit, atq; una inferior. In huius quadrati superficie superiori, quæ ex 4 regularū superficiebus 4 cōstituitur, describe 4 lineas A B, B C, C D, D A, Ita q; quælibet harū quatuor linearū sit in medio suæ superficiei secundū longitudinē equedistans ab utroq; latere eā superficiei termināte, & sint rectāgulariter sibi cōiunctæ, quadratum constituētes, A B, tñ & A D, continuētur ultra B & D, ad terminos superficiei suarū. Puncta uero A B C D, intelligātur in harū 4 linearū cōtactibus angularibus, positoq; lineali super A & C, cōtinuetur linea per angulū C, uidelicet ab angulo quadrati interiori, ad aciē exteriorē, & uocabitur linea angularis C, Extra lineā B C, facies alias lineas equedistātes B C, duas quidē extremas parū ualde à se ipsis distātes, in quarū spacio singulæ diuisiones signabuntur, unā uero inter has et B C, mediam, ita ut spaciū habeat pro numeris sculpēdis. Similiter facies lineas eadē distantia equedistātes C D, ita ut quælibet suæ relatiuæ cōueniat in linea angulari C, nec hæ lineæ exeant ultra lineas A B, aut A D, deinde exteriores lineas æquedistantes B C, & C D, quamlibet earū officio circiri diuide primo per 12 equalia, et posita regula super A, et super singulis punctis diuisionis iam factæ, trahe lineas à punctis usq; lineam B C, seu C D, et sunt distinctiones 12 centenariorū in uno quoq; laterū B C, & C D, deinde quodlibet spaciū unius cētenarij diuides in 10, et posita iterum regula super A, et punctis diuisionis, trahe lineam à punctis ad lineam mediam in utroq; latere, et sunt distinctiones denariorū in centenarijs. Quodlibet autē tale spaciū denariorum diuides in 10 equalia, et semper alterū punctū per lineam in spacio extremarū linearum distingues, & habebis in quolibet latere 1200 partes. Numeros uero centenariorum sculpes in primo spacio iuxta lineam A B, seu A D, ponēdo 100 in secundo 200, in tertio 300 & sic de alijs, in ultimo iuxta angulū C, perueniēt 1200. Numeros autem denariorū sculpes in spacijs suis procedendo per 20, unum semper spaciū omittendo ut 20, 40, 60, 80, et sufficiunt pronumeratione, latus etiam B C, rectum uocabis.